



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Disc. XLII. Fidei Exemplar. In fide, ac constantia Maria superat universos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

DISCURSUS XLII.

*Maria in confessione fidei constantissima Regina
Confessorum.*

Exordium.

Cretenses vituperat S. Paulus Apostolus ad Titum 1. cap. eò quòd malè agentes, solis fidem sermonibus sint confessi. *Cretenses semper mendaces, mala bestia ventris pigri, consitentur se nosse Deum, facti autem negant, abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.* Vera etenim fides, non sermonibus promenda, sed operibus comprobanda est; tunc enim veraciter fideles sumus, si, quod verbis promittimus, operibus complemus. inquit S. Hieronymus Epist. 72. nomen ergo Confessoris meretur, qui vitâ exemplari, & operibus virtutum, in confessione fidei constans perseverat, Maria Virgo primam suæ vitæ innocentiam, mores servavit incorruptos, fidem perfectam supra omnes homines, verbo firmavit & exemplo, in pietate perseverans usque in finem, ipsa igitur Regina est

SS. Patres. Confessorum. SS. Patres testes invoco. *Sit vobis tanquam in imagine descripta Virginitas, vitæq; beata Maria, de qua vul-*

S. Ambrosio *lut in speculo resulget species castitatis, & forma virtutis, hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt: Talis enim fuit Maria, ut eius vita, omnium sit disciplina.* commendat vitam B. M. V. S. Ambrosius. lib. 2. de Virginibus. *Speculo purior sui vita*

S. Brigitta. *mea & quemadmodum in speculo tres persona distinctè videri possunt, sic in vitâ meâ visa est clarè tota SS. Trinitas.* revelat de propriâ vitâ Virgo Deipara S. Brigittæ. *Nisi aliter Paulus me*

Dionysius Arcopagit *doceret, Mariam verum Deum esse credidissem.* ait Dionysius Arcopagita in Epist. ad S. Paulum, qui propriis oculis Ma-

riam

riam vidit in terris. *Quâ homo, & extra Deum, Mariâ nihil sanctius esse potuit, devotius nihil.* Seraphicè scribit. S. Bonaventura. in speculo. *Tam exemplaris, pia, ac devota Maria Virgo erat, ut ad eam condignè deprecandam, etiam lingua angelica non sufficiant.* perorat S. Bernardus, ferm. de Assumpt. V. hinc ejus vitam piam, Deo placentem & exemplarem, S. Augustinus, ferm. 35, de Assumpt. *Vivam copiam & imaginem Dei.* S. Epiphanius, Orat. de Laud. Virg. S. Johannes Damascenus, Orat. 2. de Dormit. Virg. & S. Petrus Damianus, ferm. de Nat. V. *Immensum mare sanctitatis intulunt;* pari modo fidem inconcussam Virginis, antiquissimus Ecclesiæ Scriptor Origenes in Lucam. *Electam Spiritus sancti sponsam.* S. Anselmus super cap. 10. *Portam, per quam JESUS in virginalem uterum, & exinde intravit in mundum* appellat. Constantiâ hujus fidei, Reginam Confessorum, gratiâ Spiritus sancti nobis astante Mariam meditemur.

S. Bonaventura.

S. Bernardus.

S. Augustinus.

S. Anselmus.

CONCEPTUS I.

De Virgine Mariâ fatetur Spiritus S. in Canticis Canticorum 4. cap. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Nonne undique super omnes speciosa est Virgo Maria? Cur ergo rectè in uno oculorum suorum, cur in uno crine colli sui, cor vulneravit sponsi? Quid sub hoc oculo? Quid sub crine latet mysterii? Oculus mentis est fides, sicut enim oculo corporis, lumen cœli videmus, sic per fidem cœlestia intuemur mysteria; crines levis sunt æstimationis, per oculum fides, per crinem Mariæ humilitas significatur, fide & humilitate Deo placuit, etenim credendo verbis Archangeli, Filium Dei sibi incorporavit, qui de carne & sanguine Virginis assumptâ humanitate primum vulnus amoris in corde, dein etiam vulnera corporis in cruce patienter sustinuit; Humilitatem quoque ancillæ suæ respexit Dominus, quem Virgo humillima

Confirmatio, seu Deductio.

ma de cœlo in terram, in uno crine colli sui attraxit. Conceptus est S. Thomæ de Villâ Novâ. Conc. 4. in Nat. Dom. *Oculus fidem, capillus humilitatem designat, quibus potentis Dei Filio Virgo maximè complacuit, illumq. uno capillo colli sui, licet fortissimum & potentissimum, fortiter alligavit: Licet enim omnis hujus puella venustas, ei grata fuerit, oculi tamen & crinis maximè se pulchritudine teneri, vulnerari fatetur, quia fides & humilitas incarnationis opus, in eâ præcipue perfecterunt, unde & à beatâ Elisabeth protinus de fide laudata est Luca 1. cap. Beata, qua credidisti, perficientur in te, qua dicta sunt tibi à Domino.* In confirmationem loquitur S. Augustinus. Tom. 10. serm. 2. de Annunt. *Dum fidem humiliter dedit, cœli in se Opificem incorporavit. O præclara sanctissima Mulieris hujus constantia!* (exclamat S. Laurentius Justinianus. serm. de Annunt. B. V.) *O fides inconcussa supra humilitatis petram fundata! plenam oraculo angelico Maria præbuit fidem.* Regina Confessorum.

CONCEPTUS II.

Voluntatem Domini de incarnando in utero Virginis Unigenito Filio Dei, ab Angelo intelligens Maria, totam se Domino resignavit, & sine dilatione, Nuntio cœlesti desideratum præbuit assensum, dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Luca 1. cap. Christi fideles, sanctique Confessores, plerumque jam informati, credere mysteria fidei, quis ergo Virginem humillimam in difficilissimis ad præbendum assensum mysteriis Trinitatis & incarnationis instruxit? Magnus asceta P. Drexelius serm. 2. de Annunt. Opusc. 3. cap. 4. §. 1. observat, in veteri Testamento mysterium SS. Trinitatis, sub obscurissimis figuris latuisse, neque aliquid de eo tradidisse claris terminis Legem Moyse; novum etiam Testamentum, seu Evangelium Christi ante incarnationem, tempore annuntiationis adlucescere non potuit, aliquid solummodò Prophetiæ, aliquid in

in suâ legatione Archangelus de SS. Trinitate insinuavit: *Filius Altissimi vocabitur: & iterum: Spiritus S. superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Ibid. Modum incarnationis verbi, capere Virgo benedicta non potuit, quomodo nimirum salvâ Virginitate, quam semel pro semper Deo voverat, Genitrix fieri valeat, & tamen utrique mysterio Trinitatis & incarnationis assentiens, humiliter consensit. *Ecce ancilla &c.* Doctissimè Salmeron Tom. 5. Tract. 9. *Incredibilia mysteria ab Angela nunciata firmâ fide apprehendit, nimirum Deum fore hominem, mortalem Deum de faminâ nasciturum.* profundius S. R. E. Cardinalis Hugo. *aperuit beata Virgo cor fidei, labia confessioni, viscera Creatori.* Laudabilis Confessor, quia instructus credidit, summo honore dignissima Virgo Maria, quæ difficillima mysteria fidei credit Angelo, etiam non instructa, Regina Confessorum.

CONCEPTUS III.

In figurâ vidit Mariam Virginem S. Joannes. *Signum magnum apparuit in celo, Mulier amicta Sole.* Apocal. 12. cap. Quid Mariæ cum sole? Cur non lunâ circumcingitur? Inconstantia typus luna est, singulis enim mensibus anni decrescit, & perdit lumen suum, constantiam sol signat, qui semper illustris est, per lumen solis, lumen fidei intelligit Hugo Cardinalis, in Psal. 18. non lunâ, sed sole amictam vidit Mariam S. Joannes, & quidem penes se stantem sub cruce, quia in lumine fidei ipsa est constantissima, cæteris deficientibus ipsa non defecit. Exemplum hujus invictæ constantia narrat S. Matthæus Evangelista, Cap. 26. in persecutione Christi, tempore malo, tempore Passionis, deficientibus fidelibus, *Discipuli omnes relicto eo fugerunt.* Quid tunc Maria? *Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus.* Joan. 20. cap. ipsa juxta crucem lachrymosa perseverat in fide, confitetur publicè Dei Filium, mundi Salvatorem ac Redemptorem, JESUM suum tam crudeliter dilaniatum, non fugit

cate-

cæteris fugientibus, reliquis deficientibus à fide, Maria non defecit. *Sicut lumen solis nunquam deficit, sic sola Virgo sola stetit in fide, in passione, Sola Regina Confessorum.*

CONCEPTUS IV.

Staturam Virginis, palmæ comparat Spiritus S. Cant. 7. cap. *Statura tua assimilata est palma.* Quare non cedro, quæ altissima arborum, staturæ non censetur inconueniens? cur palmæ? Semper rectissima est palma, nec ad dexteram declinat, nec ad sinistram, nullatenus flecti se finit, palma virorem etiam in asperrimâ hyeme non deserit, vivum constantiæ symbolum, cui subscribit Academicus suum lemma: *Semper eadem.* Statura Virginis Deiparæ assimilata est palmæ, quia in confessione fidei semper recta, *Stetit inque infirmitatem, & ubi discipuli ex metu Judæorum, ad dexteram declinarunt, & ad sinistram, relicto Domino fugerunt, sese abscondentes, ut potuerunt, dolorosissima Mater recta stetit iuxta crucem, & immota, digna, quam paulò antè citatus P. Drexelius Magistram fidei appellaret: Durissima hyems, persecutionum ventis asperrima, fuit mors & passio Christi, in quâ flos campi, & lilium convallium, dulcissimus Jesus, speciosus præ Filiis hominum, in cruce emarcuit, Maria tamen velut palma, fidei virorem non dereliquit, Christum confessa, viridis usque in finem. Favet huic Conceptui præfatus Cardinalis Hugo. in Psal. 18. *Statura tua, quæ scilicet in fide stitisti, assimilata est palma, quæ virorem foliorum nunquam amittit, sic nec tu fidei virtutem.* Regina fidelium, Regina Confessorum.*

CONCEPTUS V.

Vitem veram, dicit seipsum Christus Dominus, fideles verò suos, palmites vocat. Joan. 15. cap. *Ego sum vitis, vos palmites.* Palmes de seipso non fert fructum, sed manere debet

debet in vite, non admittens, ut abscindatur; vitis vera Christus in cruce moriens fuit, de cujus sacratissimis vulneribus, vinum salutis expressum est, benedictus palmes hujus vitis nonne Maria fuit? quæ abscissis Apostolis, & reliquis illius temporis Christi fidelibus, nec tribulatione aut adversitate, nec diræ mortis timore, passa est se abscindi, sed corde transfixa, & mente juxta crucem stetit affixa. Observatio est S. Bernardi, lib. de Pass. Dom. cap. 2. *Verè & singulariter benedictus Palmes, qui à suâ vite, nullo potuit timore præscindi; abscissi sunt viri, qui dicunt: Nos autem sperabamus, quòd ipse redempturus esset Israël; abscissa sunt mulieres, quæ quavis piè præveniunt, mortuo humanitatis servitium exhibere, tamen illum resurrecturum nequaquam credebant; sola benedicta in mulieribus, stetit in fide, propter quod aptissimè tota Ecclesia, in laudem & gloriam ejusdem Virginis, diem Sabbathi per totius anni circulum celebrare consuevit.* Sola Maria in vite permanfit, & in fide, constanter confessa, quòd Filius ejus Jesus Christus redempturus Israël, & à morte tertiâ die resurrecturus esset, Regina Confessorum.

CONCEPTUS VI.

Rarus erat ante passionem Christi Confessorum numerus, variè etenim & erroneè de eo opinabantur homines, alii Joannem Baptistam, alii Eliam, alii Jeremiam, alii alium ex Prophetis Christum credebant, solus interrogante discipulos Domino ad partes Cæsareæ Philippi, *Vos autem quem me esse dicitis?* Petrus Christum Deum & hominem apertâ voce confessus est. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Matth. 16. cap. Præclara confessio! quam proinde remunerari, ac de prædicare volens Dominus, honorificum *Petra Ecclesia* titulum, magno suo Confessori Petro conferre dignatus est; *Tu es Petrus, & super hanc petram adificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prevalebunt adversus eam.* An non rarior, in passione & morte Christi, Confessor fuit, in quâ vento

persecutionis Judaicæ, fideles primitivæ Ecclesiæ commoti sunt, solâ Virgine Dei Matre in fide immotâ & inconcussâ? Quibus ergo encomiis ejus in fide constantiam deprædicabimus? *Primitiva Ecclesia petram* seraphicè eam nominat S. Bonaventura. Serm. 1. de B. V. *Ipsa est illa petra, super quam domus fundata & firmata, quam etsi flumina ventiq; percussant, tamen immobilis perseverat, unde potuit ei dicere Christus illud Matthæi: Super hanc petram adificabo Ecclesiam meam, quia in passione Dominicâ, totâ deficiente Ecclesiâ primitivorum in fide, sola Domina nostra, firma permansit in fide, ut petra Regina Confessorum.*

Epilogus.

Vita ergo immaculata & innocens Mariæ semper Virginis speculum nostrum sit, in quo quotidie cautè inspiciamus, & pro imitandâ ejus fidei constantiâ invocemus illam cum S. Anselmo, Orat. ad B. V. *Te igitur Mater illuminationis cordis nostri, te nutrix salutis mentis nostra, te obsecrant, quantum possunt, cuncta precordia nostra, exaudi Domina, adesto propitia, adjuva potentissima, ut mundentur sordes mentium nostrarum, & illuminentur tenebra nostra, ut accendatur tepor noster, ut expergiscatur torpor noster. Amen,*

In fide constantem, querit sibi Christus amantem,

*Ast crucis horror adest, omnis amicus abest.
Mater juxta crucem, st at sola fidißima, lucem
Dans fidei, spei, cum charitate Dei.*

